N.º 20.

Noverint universi quod Nos Ferrarius de Aulina et Guillelma eius uxor parrochie Sancti Danielis extra et prope muros Gerunde gratis et ex certa sciencia Confitemur et Recognoscimus vobis venerabili et Religiose domine Constancie dei gratia Abbatisse Monasterii Sancti Danielis Gerunde presenti quod sumus et esse debemus persone proprie et solide dicti Monasterii et vestri et succedentium vobis in Abbatia dicti Monasterii una cum omni prole a nobis procreata et procreanda et descendenti ac rebus et bonis meis mobilibus presentibus et futuris ubique ratione mansi mei de Aulina siti in dicta parrochia quem pro dicto Monasterio ad directum dominium teneo. Ex quoquidem manso ac eius honoribus et possessionibus eiusdem dictum Monasterium habet et habere debet homines et mulieres et alias fructus prout iam alias de et super hiis recognitione iuramento et homagio vassallatum fecimus lapsis temporibus tunc Abbatisse seu procuratori Monasterii supradicti. Quocirca promittimus vobis dicte domine Abbatisse quod erimus dicto Monasterio et vobis nomine eiusdem et succedentibus vobis in Abbatia dicti Monasterii boni fideles et legales de corpore et avere et de omnibus iuribus dicti Monasterii et non intrabimus causa habitandi aliquam Civitatem villam Castrum vel alium locum privilegiatum nec aliquid faciemus tractabimus vel procurabimus propter quod dictum Monasterium posset ius et dominium quod in nobis et prole mea et utriusque nostrum nata et nascitura et descendenti ac rebus et bonis nostris mobilibus habet et habere debet amittere et alius sibi adquirere quoquomodo Obligando ad hec vobis et succedentibus vobis in Abbatia dicti Monasterii personas meas et omnia bona mea habita et habenda ubique iurantes sponte per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a nobis tacta predicta omnia et singula rata grata et firma semper habere tenere et servare eaque attendere et complere et non contrafacere vel venire aliqua ratione iure modo vel causa. Et pro predictis facimus et prestamus vobis dicte domine Abbatisse homagium videlicet ego dictus Ferrarius de Aulina manibus tantum et ego dicta Guillelma ore et manibus comendatum iuxta usum et consuetudinem huius terre. Actum est hoc ―――― in manso de Aulina dicte parrochie Sancti Danielis Gerunde die tercia mensis Aprilis Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Terciodecimo. Sig+num Ferrarii de Aulina et Guillelme eius uxoris predictorum qui hec firmamus laudamus et iuramus. Testes huius rei sunt Narcissus de Ulmo dicte parrochie Sancti Danielis et Geronis Sadarnesii parator Gerunde.

Ego Petrus Pinós notarius publicus auctoritate Regia substitutus a Jacobo de Campolongo publico Civitatis Bajulie et vicarie Gerunde [illegible] hoc instrumentum recepi et per Antonium Cavaller scriptorem eadem auctoritate a dicto Jacobo de Campolongo substitutum scribi feci et clausi.

N.º 21.

[illegible]

Noverint universi quod Ego Franciscus Garroffar vallis Sancti Danielis Gerunde gratis et ex certa sciencia per me et meos tenentes possessionis terre substripte Confiteor et Recognosco vobis venerabili domine Constancie de Crudiliis dei gratia Abbatisse Monasterii Sancti Danielis Gerunde presenti quod teneo pro vobis et sub directo dominio et alodio vestro et dicti Monasterii quandam particam cuiusdam possessionis terre vocate Rosella continentis duodecim versanas existentis in dicta valle Sancti Danielis in loco vocato Costa de sa Libre que per me dudum fuit renunciata dicto Monasterio. De qua possessione terre ego habeo et teneo tantum decem versanas ex stabilimento per vos michi nomine facto cum instrumento confecto die presenti in posse notarii infrascripti. Quequidem partica continens decem versanas per vos michi ut predicitur stabilita affrontat ab oriente in honore Bernardi Vilossa blanquerii Gerunde et partim in honore Anthonii Geraldi paratoris A meridie in canino de Monellis Ab occidente in residuo dicte possessionis terre quod est duarum versanarum et partim in honore Monsserrati Guimau qui tenet pro beneficio altaris Beate Marie puellarum Gerunde et partim in honore den [illegible] dicte vallis et a circio in honore meo vocato la Volta. Pro quaquidem partica dicte possessionis terre continentis decem versanas facio et presto ac facere et prestare debeo et promitto vobis nomine dicti Monasterii et eidem Monasterio quolibet anno perpetuo de et pro censu ipsius partice dicte possessionis terre in festo Natalis domini duos solidos barchinonensium de terno. Et est certum quod omnia tercia laudismia et foriscapia ex dicta possessione terre provenientia ius emparandi et retinendi et alia ad directum dominium pertinentia sunt et esse debent vestri et dicti Monasterii iurans etiam sponte per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia esse vera. Actum est hoc in dicto Monasterio Sancti Danielis Sextadecima die mensis Madii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Quartodecimo. Sig+num Francisci Garroffar predicti qui hec laudo firmo et iuro. Testes huius rei sunt venerabilis Andreas Vila prepositus prepositure de Maeriis in ecclesia Sancti Felicis et Johannes Roura blanquerius Gerunde.

[illegible]

Ego Petrus Pinós notarius publicus auctoritate Regia substitutus a Jacobo de Campolongo publico Civitatis Bajulie et vicarie Gerunde [illegible] notario hoc scribi feci et clausi.

N.º 22.

[illegible]

Noverint universi quod Ego Monsserratus Guimau vallis Sancti Danielis gratis et ex certa sciencia per me et meos tenentes terre substripte Confiteor et Recognosco vobis venerabili et Religiose domine Constancie de Crudiliis Abbatisse Monasterii Sancti Danielis Gerunde presenti quod teneo pro vobis et sub directo dominio et alodio vestro et dicti Monasterii duas versanas terre ex illa possessione terre vocata Rosella continente duodecim versanas existente in valle Sancti Danielis in loco vocato Costa de sa Lebra que dudum fuit renunciata dicto Monasterio per Franciscum Garroffar dicte vallis. Quequidem due versane terre fuerunt michi per vos stabilite cum instrumento confecto die presenti in posse notarii infrascripti prout affrontant ipse due versane terre ab oriente in alia partita dicte possessionis terre per vos stabilita dicto Francisco Garroffar prout est divisum per terminos ibi fixos A meridie in camino de Monellis Ab occidente in honore meo quem teneo pro beneficio capelle Beate Marie puellarum Gerunde et a circio in alia partita dicte possessionis terre continentis decem versanas. Pro quibusquidem duabus versanis terre superius confrontatis facio et presto ac facere et prestare debeo et promitto vobis nomine dicti Monasterii et eidem Monasterio de et pro censu ipsarum duarum versanarum terre quolibet anno perpetuo in festo Natalis domini sex denarios barchinonensium de terno. Et est certum quod omnia tercia laudismia et foriscapia ius emparandi et retinendi et alia ad directum dominium pertinentia ex predictis duabus versanis terre provenientia sunt et esse debent vestra et dicti Monasterii iurans etiam sponte per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia fore vera. Actum est hoc ―――― in dicto Monasterio Sancti Danielis Sextadecima die mensis Madii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Quartodecimo. Sig+num Monsserrati Guimau predicti qui hec laudo firmo et iuro. Testes huius rei sunt venerabilis Andreas de Villa prepositus prepositure de Maeriis in ecclesia Sancti Felicis et Johannes Roure blanquerius Gerunde.

[illegible]

Ego Petrus Pinós notarius publicus auctoritate Regia substitutus a Jacobo de Campolongo publico Civitatis Bajulie et vicarie Gerunde [illegible] notario hoc scribi feci et clausi cum suprascripto in linea sexta ubi dicitur "et foriscapia".

T.345 / 615

20) 3-6-1413
21-22) 16-5-1414

nº 1057 (8)

Nro 20 del plech sisé de S. Daniel

1118.8

Nro 21 del plech sisé de S. Daniel

Nro 22 del plech sisé de S. Daniel